



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Probatur è Justiniano, Procopio, Zozimo, & Anastasio Imperatore.
Julianus Antecessor notatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Vicarij munus, Leonisque erga Augustos obsequium, elegantius explicant ista ad Pulcheriam verba: Cum in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam catenus delegarim, ut ab ea que vobis debetur observantia non recedens, pietati me vestre presentare non desinat, exequens in custodia fidei & in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis suggestionibus quod universali Ecclesie profut in sinuans, ut in ipso nec catholicis vestrum presidium, quibus volumus subvenire, nec vobis meum desit obsequium.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

ILLUSTRISSIMI Archiepiscopi observationem mirè confirmat idem Leo in epistola ad Marcianum Augustum, que nuper ab Holstenio edita est inter Acta synodi Romane sub Bonifacio II. habitae: Suggestiones autem, inquit, fratris & Coepiscopi mei Iuliani, quem pietati vestre commendo, quaso ut benignius, sicut facitis, audiat. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, si eum quem pro catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis.

CAPVT XVI.

Synopsis.

I. Legatio hac sequentibus seculis occasionem dedit mittendorum Responsalium ad urbem Constantinopolitanam. Eorum officium apud Principem.

II. Dicit etiam Apocriuarij. Vt rescriptorum genus duplex apud veteres, ita & responsorum. Quippe omnia Principum mandata, responsa dici placuit.

III. Probatuè Justiniano, Procopio, Zozimo, & Anastasio Imperatore. Julianus Antecessor notatus.

IV. Qui causas Ecclesiarum agebant, Apocriuarij dicebantur, ex Iustiniano. Sedibus tantum patriarchalibus licebat Apocriuarios mittere ad comitatum. Oeconomi ab Apocriuariis distincti. Apocriuarij fungebantur legatione Patriarche. Anacoliis, Dioscori Alexandrini Apocriuarii. Ea dignitas translata ad ministros palatinos, evo Constantini Porphyrogenete.

V. Responsales quoque suos Romani Pontifices destinabant ad urbem regiam, qui Ecclesia universe commotis invigilabant. Hincmarus notatur, qui Apocriuariorum & Responsalium originem arcessit à temporibus Constantini Magni. Pelagius Agapeti Papa Apocriuarius apud Iustinianum: qui post omnes Episcopos subscripsit in Concilio C. P. sub Mena. Liberatus explicatus, qui primas partes Pelagio tribuit praeter ceteris Patriarchis.

VI. Gregorius Magnus Responsalem Ecclesia Romanae egit in urbe regiam. Iubetur subsidium implorare adversus Longobardos.

I. VERBA Leonis ideo retuli, quòd ex hac delegatione occasio profecta sit sequentibus seculis mittendorum ad Tom. II.

urbem Constantinopolitanam Responsalium apostolicae sedis, praecipue post Iustiniani tempora, qui felicibus armis triumpho de Gothis acto, Italiam Imperio consolidavit. Tunc enim assidui erant in comitatu Diaconi responsales; qui & causas proprias Ecclesiae Romanae apud Principem prosequerentur, & pro negotiis fidei & disciplinae excubabant; simulque veluti fidei publicae obsides in comitatu debebant, obsequij Principibus debiti fidei iustionem praestantes.

II. Legati hujus generis, Apocriuarij & Responsales dicti sunt ab illius seculi scriptoribus, quòd responsa seu mandata eorum exsequerentur à quibus missi erant. Vt enim rescripta Principum dicuntur non solum ea quae Principes libellis supplicibus rescribunt, unde ejus nominis origo, sed etiam omnia Principum iussa; ita quoque responsa dicta sunt, non solum quae ad relationes rescribantur, sed etiam omnis generis mandata: quae ex eadem origine à Graecis Διακρισις dicuntur.

III. Cujus significationis illustrior exhiberi non potest interpres quam Iustinianus, qui Principis iussa, sive βασιλικὰ διακριματά, à decessoribus suis responsa dicta fuisse docet: ἀπὸ Διακρισις ἀρχοντικῆς οἱ παλαιοὶ ἐκδίδου βασιλεῖς τε καὶ νομοθέται. Vnde Procopius munus veredariorum describens, eos esse ait qui ad regia responsa deferenda mittuntur, eis τὰς βασιλικὰς Διακρισις. Et illo antiquior Zozimus, loquens de quodam Erote qui in palatio adfidebat, καὶ ἀξίωτον Διακρισιῶν μινυτὸς τεταγμένον. Quare miles ille qui destinabatur à Magistro militum ut iudicium militarium iustiones impleri curaret, ad responsum dicitur ab Anastasio Imperatore, & à Iustiniano, id est, ad iustiones & responsa exequenda. Quanquam Iulianus Antecessor effectum respiciens potius quam causam, responsum interpreteretur ministerium, loquens de hoc milite: Responsum, id est, ministerium, ei exhibeat.

IV. Hinc factum ut qui causas Ecclesiarum agebant, Apocriuarij dicerentur, apud Iustinianum, qui vetat Episcopos ne ad comitatum accedant. Propterea sancimus, si quando propter ecclesiasticam occasionem incidere necessitas, hanc aut per eos qui res agunt sanctissimarum Ecclesiarum, quos Apocriuarios vocant, aut per aliquos Clericos huc destinatos, aut per suos aconomos, notam Imperio facere, aut nostris administratoribus, ut impetrent quod competens est. Quod ita intelligendum est, ut non singulis Ecclesiis sui essent Apocriuarij, sed tantum singulis sedibus patriarchalibus, qui suae Dioceseos negotiis in comitatu imminerent. Quare Iustinianus rectè Clericos aut

Novella 24.
Procop. lib. 1. de bello Vandal.
Zozim. lib. 11
L. ult. C. de re milit. l. x. c. 1.
Nov. 24. c. 4.

